



IN NOMINE JESU !
METHODICA
PRÆCIPUO-
RUM ARTICULORUM
FIDEI, SECUNDUM ORDINEM
ARTICULORUM SCHMALCAL-
DICORUM SYMBOLICUM,
REPETITIO,

Cujus
DISPUTATIONEM XXIII.

De
CLAVIBUS REGNI COE-
LORUM,
PRÆSES

JOHANNES *Deutschmann*/

D. & P.P. ac Alumnorum Elector. Ephorus,
ET RESPONDENS

M. CHRISTIANUS VVOLFIUS,
Pirnensis.

SS.Theol.Studiosus.

proponens

D. Sept. Horis consuetis.

WITTENBERGÆ, Typis Johannis Haken, Anno MDC LXIII.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is faint and mostly illegible due to the paper's texture and the nature of the bleed-through. Some words are difficult to discern but appear to include names and possibly dates or locations.



IN NOMINE JESU!

Hactenus *Instrumentalia*, respectu nostræ *Restorationis*,
 proposita fuerunt, nunc ad *Ministerialia* cum *B. Luthero*
 progredimur, quæ *generaliter* in *Doctrina de Ministerio Ecclesia-*
stico reperiuntur. Hujus, juxta ductum *Articulorum Schmal-*
caldicorum, considerabimus & *Naturam*, & *Adjunctum*, quod est
Conjugium Sacerdotum. *Naturam* dupliciter in præsentiarum exhibe-
 tur, modò *partialiter*, modò *totaliter*; modò quoad *energiam*,
 modo quoad *causam*; modo quoad *exercitium*, modo quoad *i-*
nitium & fundamentum: prius per doctrinam de *potestate clavi-*
um, posterius per titulum de *Initiatione, ordine & vocatione* expe-
 ditur: *Doctrina de potestate Clavium* vel est *generalis art. 7.*
 Vel *Specialis art. 8. & 9.* Nunc in genere de *Potestate clavium* al-
 iquid meditabimur.

2. Hoc a. primum omnium nobis exponendum atque de-
 monstrandum erit, quod *generaliter* considerata *clavium pote-*
tas sit *Ministeriale* nostræ *restorationis medium*, ac convenien-
 ter h. l. proponatur, ut eò clarius ordinis ratio nobis appareat.
 Probamus hoc (1) *ex clavium appellatione*: Sicut n. communi-
 ter *claves ingressus media* sunt: ita quoque per *regni cælorum*
claves via nobis ad *cælum*, & sic ad nostram *restorationem* ape-
 ritur: ut videl. per *clavem solventem regnum cælorum* ingredia-
 mur, per *clavem ligantem* ab impedimentis nostræ *restauratio-*
nis avocemur. (2) *Ex clavium denominatione*, quia disertis ver-
 bis à Christo *claves regni cælorum* appellantur *Matt. XVI 19.* (3)
ex objecti consideratione, quia *claves* illæ circa *peccata* versantur;
 & vera sunt *remedia spiritalia*, partim *ligatione*, partim *soluti-*
one peccatorum: sunt igitur *remedia corruptionis, media restaura-*
tionis. (4) *ex clavium sine*, quia *clavis solvens peccata remittit, à*
peccatis absolvit, & peccatoribus medicinam affert: clavis verò
ligans peccata retinet, & quidem ex intentione Dei non ad pec-

catoris destructionem, sed ad ejus correctionem & emendationem.
(5) ex clavium administratione, quæ fit per ipsum Dei verbum, quoad clavem solventem per vocem Evangelii, quoad clavem ligantem per verbum legis: quoad a. Verbum Dei sit restorationis medium, ex superioribus constat, & alias notissimum est. Cum igitur omnis administratio clavium ad nostri restitutionem fiat, ipsæ claves non incommode restorationis media vocantur. (6) ex principii, vel efficientis causa notatione. Clavium autor Christus est, & idem est autor restorationis, qui propter nostram restorationem spiritualem has etiam claves ordinare voluit. (7) Ex subjecti collatione, quia claves in Ecclesia servantur, & ad Ecclesie salutarem usum destinantur, ac propterea non possunt non ad hunc finem respicere, & mediorum restorationis statum præ se ferre.

3. De Clavibus notabimus hic & Onomatologian, & Pragmatologian. Quoad Onomatologian observandum, quod in scripturis vox Clavis vel sumatur in sensu proprio & materiali, quæ notat medium aperiendi, vel claudendi januas Judic. III. 25, vel in sensu figurato atq; metaphorico, quando notat in genere potestatem quandam, jus ad potestatem, & dona potestati necessaria: sumta metaphora, juxta Flacium in Clavi script. p. 131. à functione œconomi, cui claves traduntur, ut res utiles promat, aut condant: vel etiam ab ipso Domino, ejusque potestate, quia penes Dominum principalis clavium potestas est, qui pro libertate sua, quibus vult, potestatem clavium dispensatoriam concedit. Ut a. usus clavium alius legitimus, alius illegitimus, qui potius abusus appellatur: sic etiam scriptura modo de legitimo, modò de illegitimo usu vocem clavium adhibet. Legitimus usus alius est principalis, qui Domino tribuitur, penes quem suprema potestas rerum omnium, ipsarum etiam clavium. Sic Christo Domino (1) claves inferni & mortis Apoc. I. 18. (2) claves domus David c. III. 7. [3] claves abyssi c. XX. 1. tribuuntur. Alius usus est Ministerialis, isque duplex, quoad statum politicum, ut Esa. XXII. 22. Deus dicit de Eliakim: Dabo clavem domus David super humerum ejus, quod idem est,

est,

est, ac si dixisset Dominus: *Ego tradam ipsi politicam potestatem* in Aula Regis, Turbe Jerusalem, ac in tota Judea. Nam traditio clavium antiquitus conceditæ vel commissæ potestatis alicujus symbolum erat. Errant a. Papistæ Bellarm. Gregor. de Valent. Galij, qui summam Ecclesiasticam potestatem Eliakim promissam, & in ipso Pontificis supremam autoritatē, tanquam in typo, præfiguratam fuisse docent. Vid. B. Meisner. p. 2. Sobr. Phil. c. 1. q. 3. ubi inter alia notat, quod Papicole confundant *claves domus David* h. l. cum *clavibus regni cælorum*, cum tamen illæ politicae, hæ sint Ecclesiasticæ: illæ in dominando, hæ in ministrando sitæ: illæ secularem principatū, hæ spiritualem peccatorum remissionem, aut retentionem significant. Quoad statum Ecclesiasticum, alia clavis dicitur esse *clavis cognitionis*, l. scientiæ, quando Salvator Luc. XI. 5. *clavem scientiæ*, vel *ius docendi*, Legis peritis tribuit inquit: *Va vobis legis peritis, qui tulistis clavem scientiæ: ipsi non introiistis, & eos, qui introibant, prohibuistis, i. e. vobis solis rapuistis jus docendi veram viam ad vitam æternam: & tamen nec ipsi eam ingredimini, nec auditoribus eam monstratis: imo etiam volentibus eam ingredi, vestris persecutionibus ac erroribus eis resistitis, ut hæc verba Flacius l. d. interpretatur.* Alia clavis administrationis & æconomiae, quæ *clavis regni cælorum* h. l. dicitur, & potestatem Ministerialem, æconomicam & organicam in Ecclesia denotat: Illegitimus usus Antichristo tribuitur Apoc. IX. 1. quia Johannes vidit *Stellam de cælo cecidisse in terram, & data est ei clavis putei abyssi, & aperuit puteum abyssi, per quem nostrates Purgatorium intelligunt, quod ipsi Pontificii, tanquam puteum abyssi, describunt.*

4. Huc pertinet & illud, quod Nonnulli cum Rabb. Deo tres claves ex S. L. adscribunt: Sic n. ad illud Deut. XXIX. 12. *Quid est aperiet, inquit R. Jonathan? Tres claves sunt in manu ejus, Sancti illius Dei benedicti. Et nulla creatura habet potestatem super illas. Non Angelus, non Seraphinus. Et hæ sunt illæ. Clavis resurrectionis mortuorum, & clavis super steriles, & clavis super pluvias. Clavis super vivificationem mortuorum (demonstratur)*

tur) sicut dictum est Ezech. 37. Et cognoscetis, quod ego sum Jehova, cum aperuero sepulchra vestra. Clavis super steriles Gen. 29. dictum est. Et aperuit matricem ejus. Et clavis super pluvias, ut dictum est Deut. 28. Aperiet Dominus tibi thesaurum suum bonum. Alii quatuor ex Rabb. cum Lorin. super c. 14. Act. pag. 464. claves adducunt. B. Meisner. in homil. Dominic. 7. post. Trinit. ex veteribus Dei claves recitat. (1) pluvia, qua caelum aperit Deut. XXIX. 14. (2) Annona, qua jumenta & homines pascit Ps. CXLV. 16. (3) Generationis, qua natura adytum referat Gen. XXX. 22. (4) resurrectionis qua tumulos aperit, & portas mortis perfringit Ezech. XXXVII. 22. Apoc. I. 18. (5) eterna beatitudinis, qua paradus aperitur, cujus janua virginibus fatuis clausa dicitur Matt. XXV. 10. Alii claves aliter numerant, Deoq; juxta scripturam, adsignant.

5. Quando v. Ministris Ecclesiae Claves h. l. tribuuntur, loquendi ratio, secundum Harm. Evangel. Chemnitio-Lyser. t. 85. p. 935. petita (1) ex *λεττοργία*. Quemadmodum Christus habet clavem David, h. e. plenariam, supremam, omnimodam & absolutam potestatem in regno Patris sui: ita hic Apostoli & reliqui, qui eorundem officio funguntur, partem aliquam administrationis in eodem regno consequuntur. Nam Esa. XXII. 12. cum Deus Sobna, qui supremus Aula Regiae Moderator erat, per prophetam dejectionem minaretur, & vicissim Eliakim substituere vellet, descripturus ejus administrationem dicit: *Dabo clavem Domus David super humerum eius.* Quod perinde est, ac si dixisset: Ego tradam ipsi summam potestatem in aula Regiae Ezechiae, & in civitate Hierusalem. Est enim traditio clavium antiquitus symbolum concredita & commissa certae alicujus potestatis. Nam qui claves habet, ille ad omnia penetrare potest. (2) ex *συγγαμία*. Sicut quando maritus uxori claves tradit, testatur, se eam pro consortem vitae totiq; agnoscere, & eidem curam administrandae domus imponere: Sic etiam Christus Ecclesiae Sponsae claves regni caelorum tradidit, quae potestatem hanc per suos ministros administrat. (3) ex *Oeconomia*. Oeconomis & Dispensatoribus claves à Dominis committuntur, quibus simul potestas traditur in coelavia, cellas, arcas, & ea, quae in iis sunt recodita. [4]

Ex

Expolitia. Sicut principibus, quando intra civitates admittuntur, offeruntur claves à civibus, quod iudiciū est, subditos ipsorum imperio se submittere & agnoscere, penes ipsos esse potestatem aliquam in urbem intramittendi, & etiam excludendi. Hanc *metaphoram* Christus ad Ecclesiam transtulit, ejus claves *Petro & Collegis* pollicitus est, quo ipso docuit, se eos dispensatores & œconomos suos constituere velle, ut dignis quidem thesauros aperiant, eosque ad possessionem & usum fructum eorum admittant: indignis v. & prophanis occludant, eosque procul à regno Dei arceant. *Confer. I. Cor. IV. 1.*

6. Notandum igitur, quod h. l. *Vox Clavium* non sumatur (1) in sensu proprio & materiali, sed in sensu analogico & spirituali. (2) Quod solutio & ligatio dicantur claves (1) non in significato œconomico, quatenus potestatem in familia quadam notant, (2) nec in politico, quatenus civilis potestatis significatum indicant, ut *Esa XXII. 22* (3) nec in sensu Didactico, quatenus clavem scientiæ, & doctrinæ signant, ut *Luc. XI. 52.* [4] Sed in sensu Mystico & spirituali, quatenus potestatem Ecclesiæ delegatam, ad peccata ligandum, vel solvendum inferunt.

7. Vocantur autem [1] *Claves* κατ' ἐξοχήν & simpliciter, quia vix nobilioribus & utilioribus hominibus uti potest, quam ex quarum administratione salus animæ, vel æterna beatitudo pendet. (2) *Claves regni cælorum* *Matt. XVI. 19.* non regni terrarum, quia reges gentium dominantur, & qui potestatem habent, benefici vocantur. Vos a. non sic, inquit Apostolis Christus *Luc. XX. 25* neq; regni inferorū, quia clavē inferorū sibi soli Christo servat, & tanquā privilegiū divinum adducit *Apo. I. 18.* sed regni cælorum, quibus & cælum gratiæ, per Evangelii promissiones, & Absolutionis verbū, pœnitentibus aperitur, & anima pœnitens, absolutione peccatorum donata, post in cælum gloriæ deducitur, impœnitentibus v. per legis præconium gratiæ cælum occluditur, & cælum gloriæ nullatenus conceditur. [3] *Claves Ecclesiæ*, quia clavibus istis Ecclesiæ, juxta Christi concessionem, utitur, & eorum usus in æternam salutem Christianis concedi-

g. Prag.

8. Pragmatologia complectitur tum Descriptionem, tum Confirmationem. Quoad Descriptionem, B. Lutherus his verbis Claves describit, quod sine officium & potestas Ecclesie, à Christo data, ad ligandum & solvendum peccata non tantum enormis & manifesta, sed etiam subtilia, abscondita, & soli Deo nota. Hac in definitione tum Genus occurrit, tum differentia. Genus dicitur officium & potestas, siquidem & officium & potestas latius patent administratione clavium, adeoque sic in sua generali significatione ratione clavium generis respectum induunt. Ut n. alias Materiale generis, formale differentia locum communiter obtinet: sic officium, circa claves administrandas, & potestas officialis materialis, administratio v. clavium formalem respectum gerunt. Dicuntur a. claves officium, quia potissimum praxin respiciunt, & in usu, l. administratione consistunt: dicuntur etiam Potestas, quia potestas illa materiale fundamentum est officii, nec sine potestate hoc clavium officium consistere potest. Præterea conjungitur & officium, & potestas, quia nomen utrumque se materialiter habet, quoad administrationem clavium, & prius potius personas, posterius v. rem ipsam attendit. Nam officio funguntur ministri, sed ex delegatione Dei, potestas ad ipsas claves proxime dirigitur: arctissimum a. inter hæc duo vinculum deprehenditur, siquidem officium sine potestate frustra geritur, sed potestas absque officio malè, vel injustè exercetur.

9. Hoc tamen advertendum est, quod officium & potestas h. l. non accipiantur in sensu principali, l. autoritativo, quo respectu soli Christo proprium utrumque manet. Magna v. dicitur inter Christi & Ministrorum claves, vel ad minimum ipsarum usum & administrationem differentia. Nam (1) claves Christus adhibet ex autoritate propria, sed Ministerialibus utuntur ex autoritate delegata. (2) Claves Christi sunt magisteriales, pastorum v. sunt ministeriales. (3) Christus immediatè clavibus uti potest, sed ministri tantum per verbum & Sacramenta clavibus inserviunt. (4) Christus Dominus, Princeps & Magister Clavium, Apostoli saltem fuerunt ministri, l. economi I. Cor. IV. 1. [5] Christi potestas clavium est absolutum, libera, plenaria & infinita, sed ministrorum est compa-

um, restricta, & determinata. (6) Christo potestas hæc competit
independenter, quia est autoritativa, sed ministris convenit de-
pendenter, quia est subordinata (7) Christi potestas est infallibilis
& infinita potentia: sed Apostolorum nonnunquam est fallibilis,
nec ad omnia se extendit. Nam Christo καρδιογυωσία & impe-
rium conscientiarum revera competit.

10. Deinde nec officium & potestas sumuntur in sensu
pali. anticristiano, quo beneficio clavium Pontifex Romanus
summam sibi potestatem in omnes Ecclesias arrogat. Nos inquit
Bellarm. l. 1. de P. R. c. 13. & omnes Catholici per claves datas Petro
intelligimus summam potestatem in omnem Ecclesiam. Verum
hæc explicatio (1) ἀγγελ. ρ. (2) ἀντιγγελ. ρ. (3) ἀλογ., quod
modò prolixè demonstrare nolumus. Sed hic saltem B. Meis-
ner. d. l. verba repetimus. Malè claves Papales, quas vocant sibi
Pontifex arrogat, pessimè usurpat. Non n. à Christo, sed ab inferna-
li Vulcano fabricate; Apostatice, non Apostolice; Antichristiana
non Evangelice sunt. Solvit quidem & ligat Pontifex, verum ut ty-
ranni solent. Solvit n. infernum & claudit cælum; solvit locos
Christianorum, & claudit suum ararium. Ligare debebat peccata
clericorum, sed ligat jura Principum. Solvit nocentes, ligat inno-
centes. Aperit sua decretalia, sed ligat divina volumina. Inducit
servitutum Antichristianam & ligat libertatem Christianam. Uno
verbo, ligat verum, solvit falsum, ligat bonum, solvit malum. ! Ecce
quam utilis cæli claviger, & quam laudabilis Christi vicarius!

11. Porro nec officium & potestas sumuntur in sensu judicia-
li & Papistico, sicut à Papistis talis judicialis potestas, nomine Pa-
pa sacerdotibus adscribitur juxta Concil. Trident. de absolut. cap. 6.
can. 9. Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem Sacerdotis non
esse actum judicialem & c. anathema sit. Et Bellarm. l. 3. de Pœni-
tent. c. 2. multis probare conatur, quod potestas absolvendi sit ja-
dicialis, non tantum ministerialis, Apostolos & eorum successores
judices esse à Domino constitutos in causis pœnitentium. Sed ea o-
mnia, quæ profert, non probant αὐτοκρατορικὴν, sed Δικονο-
μικὴν, non absolutam, sed ad verbum restrictam, non judicialem, sed
mini-

B

mini-

ministerialem potestatem. Unde rectissime Confess. Apolog. tit. de Confess. & satisfact. p. 181. iudicium hoc refellit inquit : Quod obijciunt Papista, iudicem prius debere cognoscere causam, priusquam pronunciat, hoc nihil ad rem pertinet, quia Ministerium absolutionis beneficium est seu gratia, non est iudicium, seu lex. Itaque ministri in Ecclesia habent mandatum remittendi peccata, non habent mandatum cognoscendi occulta delicta. Et quidem absolvunt ab his, quae non meminimus, quare absolutio, quae est vox Evangelii remittens peccata & consolans conscientias, non requirit cognitionem &c.

12. Sed intelligitur hic potestas & officium verè ministeriali sensu tum ratione fundamenti, quia potestas hæc tantum à mandato l. ordinatione Christi dependet : tum ratione mediis, quia hæc omnis potestas ad verbum est determinata, & extra verbum, nec effectum, nec fructum ullum sortitur : tum ratione modi, quia non fit in nomine ministrorum, sed tantum in nomine Christi. Unde est, sicut scribit B. Hutter. in Loc. Major. p. 765. quod Ministrorum Ecclesiae nullus in suo, sed tantum in CHRISTI, sive in SS. Trinitatis nomine peccatorem poenitentem absolvit, neque simpliciter dicit, aut dicere debet : Ego te absolvo : Sed Ego Te autoritate, mandato & virtute CHRISTI absolvo ab omnibus peccatis tuis. Unde est, quod graviter peccant Ministri, qui interdum in actus privata absolutionis, privatis vel affectibus, l. inimicitis frena nimium laxantes in absolutionis voce annuncianda difficiliore se præbent. Quo sane pacto per atrox sacrilegium, alienum opus invadunt, neque amplius se ministros, sed Dominos & iudices conscientiarum constituunt : de privata magis vindicta, ac propria autoritatis assertione, quam de adificatione & salute confitentis solliciti. Quae sane præpostera ratio licet confitentis salutis nihil officere possit : ipsum tamen Ministrum fedissimi abusus clavium reum coram Deo constituit. Tum ratione subjecti, quia ministri non sunt Domini, sed æconomi mysteriorum divinorum I. Cor. IV. 1. æconomus a. clavibus utitur non ex principali, sed ex ministeriali potestate : Christus est Dominus domus sua Heb. III. 6. sed ministri sunt æconomi, qui non ex sua, sed

sed ex Domini autoritate claves usurpant, & iure non ex sua sed ex Domini voluntate potestatem clavium administrant, & mysteria clavium dispensant.

13. Differentia desumitur à causis vid. (1) ab Efficiente, quæ vel est principalis & autoritativa juxta præsentem articulum, Ipse Christus quia claves à Christo data dicuntur Matt. XVI. 19. XIX. 18. Job. XX. Vel Minus principalis & delegata, quæ dicitur Ecclesia, hinc clavium potestas Ecclesie vocatur, quia Christus, tanquam sponsus, Ecclesie sponsa claves spirituales in domo mystica concedidit, quæ nunc absente sponso Christo visibiliter, administratione clavium, bonorumq; dispensatione fungitur. Vel Ministerialis, nim. Ecclesie Ministri; nam Ecclesia non immediate, neque collectivè, sed potius mediate, per Ministros suos, potestatem istam exercet, hinc etiam Pastores Ecclesie Ministri vulgo juxta Col. I. 25. nuncupantur.

14. (2) à Causa Materiali, quia partim adducitur Materia in qua, vel subjectum Potestatis clavium, nim. Ecclesia, siquidem in Ecclesia potestas clavium invenitur, in Ecclesia exercetur, & ad Ecclesie salutarem gubernationem adhibetur. Nullus alius in mundo cætus est, præter Ecclesiam, cui Christus clavium administrationem & usurpationem tradiderit, ut ex Matt. XIX. 17, 18. Partim Materia circa quam. Sicut n. omnis potestas certum aliquod objectum requirit, cum alicujus, non v. nullius sit potestas: sic etiam spiritualis clavium potestas objectum certum respicit, quod alias vel est immediatum, ipsum nim. peccatum; vel mediatum, homo peccator: prius saltem hic adducitur, & discretis verbis dicitur, quod clavium potestas in genere circa peccata versetur. Et ne quis unum vel alterum saltem peccatorum genus hic intelligere possit, ideo B. Lutherus generalem peccatorum distributionem instituit, & in universum omnia, cujuscunque sint conditionis, potestati clavium submittit, quia non saltem circa enormia & manifesta, sed etiam circa subtilia, abscondita, soli q; Deo nota peccata potestati clavium subjicit. Si quis ad Materiam ex qua velit actus potestatis referre, cum administratio per certos actus integraliter constituatur, in quibus materialiter exerci-

erci-

exercitium potestatis consistere videtur, sic B. Lutherus ligationis & solutionis mentionem hic facere voluit.

15. (3) à *Causa Formali*, quæ potissimum *Potestatis* huiusmodi includit, B. Lutherus partim adducere videtur modum *fiendi*, quando dicitur, quod sit *officium & potestas à Christo data*, quia per *concessionem & dispositionem*, vel *ordinationem Christi* talem *potestatem Ecclesia* possidet: partim modum *essendi*, sic dicitur *officium & potestas Ecclesie circa peccata occupata*: partim modum *operandi*, quo respectu *potestas hæc à Christo data* dicitur in *ligandis & solvendis peccatis* potissimum *operationem* invenire.

16. (4) à *Causa Finali*, quæ demonstratur particula *AD*, *consuetæ finalis cause nota*, hinc *Christus potestatem Ecclesie dedisse* perhibetur tum *ad ligandum peccata*, quoad *clavem ligantem* in *Excommunicatione*, tum *ad solvendum peccata* quoad *clavem*, ut vocatur, *solventem* in *Absolutione*.

17. Hactenus *descriptionem* exposuimus, nunc etiam B. Lutherus nonnulla *confirmationis* loco producit. *Duplici v. respectu confirmatio Symbolica militat* (1) *ratione Materie*, quod *clavium potestas* non tantum *circa enormia & manifesta*, sed etiam *circa subtilia, abscondita & soli Deo nota peccata* versetur, quod probatur tum ex *V. T. Psal. XIX. 13. Delicta quis intelligit?* tum ex *N. T. quia Rom. VII. 25. Paulus conqueritur se carne servire legi peccati.* (2) *Ratione formæ*, quod non penes nos, sed quod *solum Dei sit judicare*, quæ *quanta & quotuplica sint peccata*, juxta dictum *Veteris ex Psal. CXLIV. 2. Ne intres in iudicium cum servo tuo, quia non justificabitur coram te omnis vivens, & Novi Testamenti I. Cor. IV. 4. Nullius quidem mihi conscius sum, sed per hoc non sum justificatus,*



VO 17

